

T4

*Germania 11-17***I costumi dei Germani**

**11 (1)** De minoribus rebus principes consultant, de maioribus omnes, ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud principes praettractentur. **(2)** Coeunt, nisi quid fortuitum et subitum incidit, certis diebus, cum aut incohatur luna aut impletur; nam agendis rebus hoc auspicatissimum initium credunt. Nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computant. Sic constituunt, sic condicunt: nox ducere diem videtur. **(3)** Illud ex libertate vitium, quod non simul nec ut iussi convenient, sed et alter et tertius dies cunctatione coeuntium absumitur. Ut turbae placuit, considunt armati. **(4)** Silentium per sacerdotes, quibus tum et coercendi ius est, imperatur. **(5)** Mox rex vel princeps, prout aetas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia est, audiuntur auctoritate suadendi magis quam iubendi potestate. **(6)** Si displicuit sententia, fremitu aspernantur; sin placuit, frameas concutunt: honoratissimum adsensus genus est armis laudare.

**12 (1)** Licet apud concilium accusare quoque et discrimin capitis intendere. Distinctio poenarum ex delicto: proditores et transfugas arboribus suspendunt, ignavos et imbelles et corpore infames caeno ac palude, iniecta insuper crate, mergunt. **(2)** Diversitas supplicii illuc respicit, tamquam scelera ostendi oporteat dum puniuntur, flagitia abscondi. Sed et levioribus delictis pro modo poena: equorum pecorumque numero convicti multantur. Pars multae regi vel civitati, pars ipsi qui vindicatur vel propinquus eius exsolvitur. **(3)** Eliguntur in isdem conciliis et principes qui iura per pagos vicosque reddunt; centeni singulis ex plebe comites consilium simul et auctoritas adsunt.

**13 (1)** Nihil autem neque publicae neque privatae rei nisi armati agunt. Sed arma sumere non ante cuiquam moris quam civitas suffecturum probaverit. Tum in ipso concilio vel principum aliquis vel pater vel propinqui scuto frameaque iuvenem ornant: haec apud illos toga, hic primus iuventae honos; ante hoc domus pars videntur, mox rei publicae. **(2)** Insignis nobilitas aut magna patrum merita principis dignationem etiam adulescentulis adsignant: ceteris robustioribus ac iam pridem probatis adgregantur, nec rubor inter comites aspici. **(3)** Gradus quin etiam ipse comitatus habet, iudicio eius quem sectantur; magna et comitum aemulatio, quibus primus apud principem suum locus, et principum, cui plurimi et acerimi comites. **(4)** Haec dignitas, hae vires; magno semper electorum iuvenum globo circumdari in pace decus, in bello praesidium. **(5)** Nec solum in sua gente cuique, sed apud finitimas quoque civitates id nomen, ea gloria est, si numero ac virtute comitatus emineat: expetunt enim legationibus et muniberis ornantur et ipsa plerumque fama bella profligant.

**14 (1)** Cum ventum in aciem, turpe principi virtute vinci, turpe comitatui virtutem principis non adaequare. **(2)** Iam vero infame in omnem vitam ac proborum superstitem principi suo ex acie recessisse: illum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriae eius adsignare praecipuum sacramentum est: principes pro victoria pugnant, comites pro principe. **(3)** Si civitas in qua orti sunt longa pace et otio torpeat, plerique nobilium adulescentium petunt ultro eas nationes, quae tum bellum aliquod gerunt, quia et ingrata genti quies et facilius inter ancipitia clarescunt magnumque comitatum non nisi vi belloque tueare. **(4)** Exigunt enim principis sui liberalitate illum bellatorem equum, illam cruentam victricemque fra-

meam; nam epulae et quamquam incompti, largi tamen apparatus pro stipendio cedunt. (5) Materia munificentiae per bella et raptus, nec arare terram aut exspectare annum tam facile persuaseris quam vocare hostem et vulnera mereri. (6) Pigrum quin immo et iners videtur sudore adquirere quod possis sanguine parare.

**15 (1)** Quotiens bella non ineunt, non multum venatibus, plus per otium transigunt, dediti somno ciboque, fortissimus quisque ac bellicosissimus nihil agens, delegata domus et penatum et agrorum cura feminis senibusque et infirmissimo cuique ex familia. Ipsi hebent, mira diversitate naturae, cum idem homines sic ament inertiam et oderint quietem. (2) Mos est civitatibus ultro ac viritim conferre principibus vel armentorum vel frugum, quod pro honore acceptum etiam necessitatibus subvenit. (3) Gaudent praecipue finitimarum gentium donis, quae non modo a singulis, sed et publice mittuntur, electi equi, magna arma, phalerae torquesque; iam et pecuniam accipere docuimus.

**16 (1)** Nullas Germanorum populis urbes habitari satis notum est, ne pati quidem inter se iunctas sedes. Colunt discreti ac diversi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit. (2) Vicos locant non in nostrum morem conexis et cohaerentibus aedificiis: suam quisque domum spatio circumdat, sive adversus casus ignis remedium sive inscitia aedicandi. (3) Ne caementorum quidem apud illos aut tegularum usus: materia ad omnia utuntur informi et citra speciem aut delectationem. Quaedam loca diligentius inlinunt terra ita pura ac splendente ut picturam ac lineamenta colorum imitetur. (4) Solent et subterraneos specus aperire eosque multo insuper fimo onerant, suffugium hiemis et receptaculum frugibus, quia rigorem frigorū eius modi loci molliunt, et si quando hostis advenit, aperta populatur, abdita autem et defossa aut ignorantur aut eo ipso fallunt quod quaerenda sunt.

**17 (1)** Tegumen omnibus sagum fibula aut, si desit, spina consertum: cetera intecti totos dies iuxta focum atque ignem agunt. (2) Locupletissimi veste distinguuntur non fluitante, sicut Sarmatae ac Parthi, sed stricta et singulos artus exprimente. (3) Gerunt et ferarum pelles, proximi ripae neglegenter, ulteriores exquisitius, ut quibus nullus per commercia cultus. Eligunt feras et detracta velamina spargunt maculis pellibusque beluarum, quas exterior Oceanus atque ignotum mare gignit. (4) Nec alias feminis quam viris habitus, nisi quod feminae saepius lineis amictibus velantur eosque purpura variant partemque vestitus superioris in manicas non extendunt, nudae brachia ac lacertos; sed et proxima pars pectoris patet.